



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XIV. Rubens ardens, & incombustus, quem Moyses vidit,  
crucem dominicam præsignavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XIV.

Rubus ardens & incombustus, quem  
Moyfes vidit, crucem Dominicam præ-  
signavit.

*Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non  
comburatur rubus? Exod. 3. 3.*

I.

Cùm Moyfes tum temporis adhuc vilis opilio gregem suum la-  
nigerum in fervore diei & in æstu meridiana lucis ad interio-  
ra minasset deserti, ut ibidem non tam optatam umbram,  
quàm & opportunum pabulum, quod ejusmodi rubi & du-  
mi ovibus præbere solent, inveniret, ex improvîso advertit,  
quòd rubus quidam in monte Horeb sponte sua arderet, & nullo mo-  
do ab ignis combureretur flamma: *Vadam*, inquebat, *& videbo visionem* Exod. 3. 3.  
*hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Et ecce cùm propiùs ad hoc  
insolitum accurrît spectaculum, subitò per divinum jubetur oraculum,  
ut retrocedat: *Ne appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis.* Et qua-  
re hoc?

R. S. Gregorius, quòd per hunc rubum in igne prorsùs illæ sum<sup>S. Gregor.</sup>  
& incombustum Christus & hic Crucifixus fuerit præsignatus; ita &<sup>li. 28. Moral.</sup>  
Cornelius de Lapide: *Verbum Dei*, ait, *in rubo, est Verbum Dei in cruce* <sup>cap. 2. Cor.</sup>  
*quia utrobique inter spinas, videlicet in monte Horeb in figura, & in Cal-* <sup>nd. hic</sup>  
*varia monte in figurato, ubi in veritate inter spinas extitit, & im-*  
*menso charitatis igne erga genus flagravit humanum, ac etiamnum*  
*flagrare pergit, dum miseris & ægris mortalibus per vi- tutem S. Cru-*  
*cis ubique terrarum innumera divina bonitatis suæ exhibere solet ar-*  
*gumenta.*

2. Præcepit autem DEUS Moyfi, ut quantocyùs ob sanctitatem  
loci calceos suos exueret: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Et quare hoc? <sup>Exod. 3. 5.</sup>  
R. Ut sic debitam Divinae Majestati ibi in rubo præsentî exhiberet re-  
verentiam ac submissionem. Secundò ut similis esset cæteris Hehræis

G 2

in



Hebr. 11. 25.

S. Bernhard.  
serm. in cap.  
12. Apoc.

Psal. 73. 12.

Exod. 3. 2.

in Ægypto, qui in illa Pharaonica servitute, tanquam servi incedebant nudipedes, calcantes lutum & paleas. Tertio ut inciperet portare improprium Christi, quia in pluribus erat figura Christi: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem &c.* Quarto ut ostenderet illi DEUS: Qui ad regnum æternum discupit venire, per cruces & passiones, per sentes & tribulos, quibus ille deserti locus abundabat, nudis ac cruentis incedere debeat pedibus: Et si calceamenta ex pellibus animalium mortuorum fiunt, isti terreni & carnales relinquendi sunt affectus illis præsertim, qui Christum Crucifixum volunt sectari; proinde non immerito D. Bernhardus: *Verumtamen, inquit, solve calceamenta de pedibus tuis, & involuera pone carnalium cogitationum, si accedere conspiscis*, videlicet ad hunc rubum mysticum in Calvario Monte præ nimia in nos charitate ardentem, & tamen incombustum. Quod exemplum Moysis etiamnum hodie imitantur omnes boni Christiani, dum in terra Sancta stationes crucis visitantes, prius omnes calceos suos deponunt, & sic discalceati in animo contrito ac humiliato Calvaria montem conscendunt, in quo pretiosissimus Salvator noster operatus est salutem nostram in medio terræ.

3. Ardebat autem ille rubus Mosæicus, & nullo modo comburebatur à flammâ, sed potius per ignem reddebatur illustrior: *Videbat quod rubus arceret, & non comburereur.* Et cur non erat combustus? Nosce ex hoc figurante figuratum: *Verbum Dei in rubo*, ait Cornelius, *erat Verbum Dei in cruce*, ita & S. Gregorius & alii, ergo rubus ille præsignabat crucem, cujus particulae & segmenta nunc per Christianum orbem dispersa, etiamnum hodiè in igne manent illæsa, hinc antiquissimus mos erat, quod sacrae Dominicæ crucis particulae per ignem probarentur, ex quo verum ac genuinum SS. Crucis lignum etiam inter medias flammarum furias permanebat illæsum, & econtra particulae subreptitiæ mox in igne redigebantur in cineres. Pro confirmatione hujus veritatis aliquas in medium proferamus experientias.

4. Anno 1614. 13. Septembris Brixia in Tyroli in Ecclesia Cathedrali in præsentia plurium illustrium Personarum in igne probata est aliqua SS. Crucis particula, quæ in mediis flammis illæsa inventa est. Testimonium Reverendissimi Officii Vicariatus, quod ad manus habeo, hæc subjungo.

„ Nos Hieronymus Otho Agricola J. U. D. Cathedralis Ecclesiæ  
„ Brixinensis Canonicus, Scholasticus & Præpositus ad B. V. nec non  
„ Reverendissimi ac Serenissimi Principis ac Domini, Domini Caroli  
„ Archiducis Austriae &c. Episcopi Brixinensis in Spiritualibus Vicariatus  
„ Generalis notum facimus, qualiter quædam particula ligni S.  
„ Crucis,



„ Crucis, quam Nobilis Dominus Joannes Jacobus Niefferlin Agens  
 „ seu Factor D. D. Fuggerorum in Schwvaz Nobili Domino Jacobo  
 „ Söllen ab Aichberg in Neuhausen præfati Serenissimi Archiducis  
 „ Consiliario Aulico & feudorum Præfecto elapsò mense Junio dono  
 „ dedit, per ignem in præsentia tum Sacerdotum, tum Sæcularium  
 „ probata fuerit, & in hoc igne prorsùs illæsa & intacta permanferit.  
 „ In cujus rei fidem præfacto Domino Niefferlin testes præsentis litte-  
 „ ras nostro Vicariatùs sigillo munitas dedimus, datas Brixia die 13.  
 „ Septembris Anno 1614.

Hieron. Otho Agr. Vicarius Gener. m. p.  
 Christophorus Buechberg ex Mandato. m. p.

Hanc sacram crucis Dominicæ particulam Illustrissimus & Ex-  
 cellentissimus S. R. I. Comes ac Dominus, D. Antonius Josephus  
 Fuggerus, ad quem per paternam hæreditatem devenit, pretiosâ hie-  
 rothecâ involutam, & auro gemmisque ornatam Ecclesiæ Biberba-  
 censi in perpetuum munificentia suæ mnemosynon consignavit, at-  
 que reliquit.

5. Refert Paulus de Espinosa, quòd à Serenissimis Hispaniarum In Historia  
 Regibus D. Alonso de Fonseca Hispaliensium Archiepiscopo quædam Hispal. hb. 69  
 particula Dominicæ crucis fuerit donata, qui eam, dum Missam Pont- cap. 1.  
 tificalem celebravit, ut veritatem probaret, in accensum ignem im-  
 mitti jussit, in quo non solum integra & illæsa reperta est, sed & sua-  
 vissimum odorem tum intra, tum extra Ecclesiam efflavit.

Severus Episcopus Ultrajectensis Anno 1431. hujusmodi SS. Bagatta lib. 2.  
 Crucis particulam in Ecclesia Dordracensi in Hollandia inventam co- cap. 1. sect. 9.  
 ram multis testibus præsentibus in ignem conjecit, ex quo pariter cum  
 summa omnium præsentium admiratione illæsa extracta est.

S. Anno Colonia Agrippinæ simile quoddam frustum crucis Do- Idem.  
 minicæ ter in igne probavit, & semper à flammis integram & illæ-  
 sam recepit.

Similem eventum B. Albertus M. expertus est, qui à S. Ludovico sandrus in  
 Galliarum Rege in ignem quandam SS. Crucis particulam dono ac- suo Stauroph.  
 cepit, quæ tertia vice experimento ignis probata, & semper integra fol. 143.  
 inventa est.

6. Vienna in Austria in aula Cæsarea adhuc hodiè religiosè asser- Nadastus S. J.  
 vatur & colitur quædam insignis Dominicæ crucis Particula, quam in Epist. De-  
 Ferdinandus III. Rom. Imp. in pace & bello ad cor appensam devo- dicatoria ad  
 tissimè gestare solitus erat, & antequam bellicum signum ad arma & Eleonoram  
 prælia dari jussisset, semper hac crucis particulâ sepiè signans, intre- l. p. in Anno  
amoris Dei,



54 *Consideratio XIV. Rubus incombustus typus SS. Crucis.*

pidè in hostem ruit, & in hoc signo feliciter eum profligavit. Accidit, ut die 2. Decembris Anno 1668. de nocte sævissimum in aula nova Cæsarea Viennæ oriretur incendium, ubi pars magna palatii flammis consumpta est; Et ecce aliis rebus igne vehementi devastatis, sævissimus Vulcanus soli huic S. Crucis asolæ pepercit, quæ inter carbones & ignitos cineres, ubi aurum, argentum, stannum, ipsumque ferrum diffluit, post quinque dies non sine ingenti Viennensium admiratione illæsa inventa est, Quod memorabile factum Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps & Episcopus D. D. Wildericus Episcopus Viennensis publico diplomate confirmavit, & Clemens IX. P. M. ad instantiam Serenissimæ Imperatricis Eleonoræ in memoriam hujus miraculi celeberrimam Congregationem sub Titulo S. Crucis in aula cæsarea instituit, quam plurimis indulgentiis & Ecclesiasticis thesauris locupletavit.

7. Mitto similes plures & prodigiosos eventus, quibus addo, quòd lignum S. Crucis Dominicæ non tantum in igne illæsa manere, sed & incendia exorta mirificè extinguere solet. Ita S. Gregorius Turonensis simili crucis particulâ, quam è collo pendulam ad cor gestabat, sævissimum incendium momento extinxit, mirantibus omnibus quòd ligno extingueretur ignis.

Dauroult. c.  
I. tit. 34. n. 4

S. Paulin. Ep.  
Nol. in Naral.  
X. de S. Felice M.

Sic & S. Paulinus Episcopus Nolanus exiguâ SS. Crucis astullâ seu segmento defracto in medias incendii flammâ injecto, totum sine mora incendium in urbe Nolana restrinxit & extinxit, unde ipse scripsit:

*Vicerat ignis aquam: Nos ligno extinguimus ignem:  
Quàmque aqua non poterat, vicit brevis asola flammam.*

Ex quibus agnosces, quàm bene conveniant Rubus incombustus & Crux Dominica:

*Ut Rubus in flamma: Sic Crux illesa triumphat:  
Hanc cole, te Stygiis eximet inde rogis.*



CON-